

28299




16

Quin melius quam soluta,
Sic reuincta triumphat.
Maximus ille Regum,
Qui mihi in hostes meos dedit virtutem;
Dabit mox libertatem & salutem.

Cum diademate Regali
Commutare nollet animus
Has amabiles catenas,
Quæ cum Numine immortalis
Me coniungunt nodo stabili
Fortunatas voco pænas.

Cum &c.

F I N I S.



Ex Libris
Fausto Torre Franca



Di. Pro. Gen. B. M. J. M. M.
PVDICITIA
IN FVGA TRIVMPHANS
DRAMA SACRV M
FRANCISCI POSTERLA
ROMANI.

Musicis adaptatum Concentibus

A IO: BAPTISTA PIOSELLIO
ROMANI.

Canendum

In Sacello Ven. Archiconfraternitatis

SANCTISSIMI

CRVCIFIXI



ROMÆ, Typis Io: Francisci Buagni • MDCCV.

Superiorum Facultate.

ARGOMENTO.

V Enduto Giuseppe per schiauo di Putifar in Egitto, se ne innaghi talmente la di lui Moglie per nome Zara, che giunse à sollecitare il pudico giouine a sodisfare le disonestè sue brame. Sdegnando Giuseppe di perdere il bel candore della natia Innocenza lasciò in mano dell'Impudica il proprio Mantello, che serui per testimonio bugiardo, che egli hauesse tentato Zara nell'onore, onde fù perciò da Putifar posto in carcere, dal quale poi permise Iddio. che uscisse come Innocente trionfator dell'oltraggio, e da schiauo diuenisse quasi assoluto Signore dell'Egitto. Così il Sacro Testo.

ACTORES.

IOSEPH.
PUTIFAR.
ZARA vxoreius.
ANCILLA.



PARS

PARS PRIM³A.

Zar.



Entio me mihi raptam,
Meque in me non inuenio.
Ignis, qui in corde sauit
Vota stimulans rea

Totam e mente mea
Sponsam deleuit.

O' Amor improbe

Relinque hanc animam,

Relinque miseræ

Me sine me.

Optavi & volui;

Pars magna criminis

Iam nostro in pectore

Peracta a te.

O' Amor &c.

Fuge, quid adhuc petis

Pudor intempestiue!

Tunc debebas

Pudor in me sauire

Cum sanus animus crimen timebat suum.

Nunc serò ah serò nimis

Sæue pudor venisti,

Serò ad mentis custodiam accurristi.

Squit Amor implacabilis,

Et etiam Retulit

Cordis victoriam.

Splendor frontis adorabilis

Zaræ iam domitæ

Decantat gloriam.

Squit &c.

Anc. Quis insolitus dolor

Incluta Regum proles

Zara, splendor Amoris,

Vultus funestat tuos?

Zar. Ancilla amata

Insolitæ mestitiæ, & mei doloris

A 2

Ne

Ne causam quere; dolor est insanus,
Et qui iustius à nobis occultari
Maret, quàm reuelari.

Anc. Iners remedium est, Zara formosa,
Mala silentio premere

Zar. Silentium iuuat,
Immò iuuat mors ipsa in malis nostris,
Cum medicina peior habetur malo.

Anc. Quidquid mederi potest, mederi debet

Zar. Mederi debet quid quid mederi licet.

Anc. Licet quod iuuat.

Zar. Adeò creuerunt mea,
Quæ nunc perpetior mala
Vt nil in illis liceat, & nihil iuuet.

Anc. Zara, nouimus tui Cordis dolorem,
Nouimus esse Amorem.

Zar. Me miseram, agnoscis.
Mentis insaniam meæ,
Mentis insaniam tuæ, quæ frustra mihi
Mali tanti medelam
Incauta persuadebas,
Et vanam vanæ spei spem promittebas.

Quam dedi sponsa viro

Fidem, non possum dare

Alteri Amanti.

Non sinit honestas.

Non Sinit Maiestas,

Non Sinit Iustitia,

In tanta mæstitia

Mortem licet optare

Animæ erranti.

Quam &c.

Anc. Simplex & leuis es, nec qualem debes

Regalem habes animum,

Res ad omnes paratum,

Et qui sibi permittat

Plusquam permittunt vulgo, & iura, & leges;

Ta-

Talia non decent Reges?

Licent Principi multa

Quæ non liceret imò de Plebe homini.

Cunas respice tuas,

Metire dignitatem,

Agnosce potestatem.

Vnus Amor, & vna voluptas

Magnos animos

Nescit implere.

Mulier vilis, non mulier Regalis

Solo Amante

Potest gaudere.

Vnus &c.

Zar. Sed adest Sponsus meus

Discede, & file.

Iuuat insani affectus

Sedare in sinu meo graues tumultus,

Et componere vultus,

Ne me prodat aspectus.

Sed heu quam durum est tegere amorem,

Quam difficile est crimen

Fronte non demonstrare,

Et mentem simulare.

Put. Zara pars cordis mei

Quis obnubilat dolor

Frontem Speculum Solis,

Genas decus Amoris?

Pone precor mæstitiam,

Et vultu serenato

Cælo iam obscurato

Frontis lætitiâ tuæ redde lætitiâ.

Pupillis

In illis

Stat Cæli serenitas;

In ore ridenti,

In comâ nitenti

Mei cordis amantitas.

Pupillis &c.

Non

6
Zar. Non semper animus promptus lætitiæ potest
Risum in vultu habere,
Gaudet quandoque Cor etiam dolere.
Sicut risus & lætitia
Aliquando est dulcis dolor.
Velut gena rubicunda
Est iucunda,
Sic & pallor in mœstitia
Aliquando est gratus color. Sicut &c.

Pnt. Pone precor mærorem
Quamquam in te suauem
Reddat ipsum pallorem;
Quamquam dulcem, non grauem,
Ostendat tuum dolorem.
Nam dum te mæstam cerno
Tota mei cordis pæna
Pendet à fronte tua nubibus plena.
Serenate dulces oculi,
Serenate vestra lumina.
Et splendore
Non mærore
Superate Cæli Sydera,
Illustrate Cœli Numina. Sere &c.

Ios. Testa Regum aurata,
Principum aulæ excelsæ,
Laqueata ornamenta
Humanæ libertatis,
Opes plusquam fallaces,
Fastus umbræ mendaces
Non sunt diuitiæ
Non Aulæ maximæ
Aurum, & Purpura
Quæ faciunt Regem.
Sed ingens Animus,
Mens Regia, & nobilis,
Ac sapiens regere
Subditum gregem. Non &c. Io-

280
7
Anc. Ioseph?
Ios. Quo vertis, Nutrix aniles gradus?
Anc. Ad Te, cui magnam Numina sortem parant.
Ios. Iamdudum sortem expertus
Didici Sortis vices,
Quanto plus fauet Sors, plus est timenda,
Quia volubilis semper
Decipit, vt alliciat,
Allicit, vt decipiat.
Cum Sors arridet
Læta & iucunda
Ceu fontis vnda
Splendet ac fugit.
Dum felix ridet,
Ac spondet iubila
Simulat fulmen,
Quod inter nubila
Fugiendo mugit. Cum &c.

Anc. Viles premit fortuna, audaces leuat.
Quis quis munera sortis
Capit audax & fortis
Munera accepta diu potest seruare;
At qui nescit seruare, amittit cito!
Ios. Quò magis audax, magis ex alto ruit
Qui fortunam oppugnat,
Mox nec audax, nec vilis eam expugnat.

Anc. Inexpertus fortunam clementem
Iuuenilem expelle timorem.
Experire parumper amicam,
Quam nunc cernis inimicam,
Et surgentem
Depones horrorem. Inexpertus &c.

Ios. Blanditiæ quæso farè quò tendunt tuæ?

Anc. Amas Ioseph?

Ios. Nec amo
Nec amare vnquam volo,

Et hæc voluntas præcor vt hereat diu.
 Quis quis fortunam spernit
 Spernit etiam amorem.
 Rarò iuncti non sunt fortuna, & Amor;

Anc. In regali fortuna
 Regalem etiam offero amorem tibi.
 Zara.....

Ios. Recede hinc procul;
 Nec vbi non auditur
 Vocem effunde tuam.
 Satis dixisti,
 Satis etiam audisti.
 Venenatas Amoris sagittas
 Ab hoc animo Cælum auertat.
 Et si castum erumpunt in pectus
 Lethiferi affectus
 Pudicitia in triumphum conuertat.

Venenatas &c.

FINIS PRIMAE PARTIS.

PARS SECVNDA.

Ios.



Magne rerum Sator, & Cæli potens
 Arbiter, & creator,
 Qui cuncta nutu flectis, ac voluis tuo,
 Quos Mûdo debes oculos, verte ad meas

Imminentes ruinas
 Quæ, nisi tu festinas
 Me redigere ad vitam
 Mentem euertent meam, licet inuitam
 Tentat iam hostilis manus

Cordis arcem expugnare,
 Iam video insultus
 Fæminei vultus;
 Iam de me furor insanus
 Sperat audax triumphare.

Dent &c.

Zar. Fatum, Numina, & Amor,
 Et plusquam cuncta Numina vultus tuus,
 Ioseph, Ioseph formose,
 Animum rapiunt meum, rapiunt affectus
 Quotquot habet hoc pectus,
 Ad amorem tui amoris
 Qui solus mei doloris
 Esse potest medela: audi gementem,
 Et solare languentem.

Si cor mihi rapuisti
 Redde Cor, aut cede Amori;
 Vel si negas me sperare,
 Fac vt possim non amare,
 Vel si vitam abstulisti
 Fac vt saltem possim mori.

Si &c.

Ios. Zara quid quid anhelas
 Fatum, Numina, & Amor,
 Pudicitia, & honestas,
 Et iustitia, & maiestas
 Omnes vetant.

Thalamum Coniugalem

Quo pacto lædes? qua lege fas est mihi

Castum Domini mei, Coniugis tui

Temerare Cubile? ah pone quæso

Pone indignos affectus

Animæ tuæ Regalis,

Et amoris læthalis

Adhuc nascentia in te femina exstingue.

Satis culpæ dedisti

Quod scelus exoptasti & voluisti.

Non est Amor, quem vocas Amorem,

Quem credis dolorem

Non est dolor, sed improba spes.

Hæc à mente repelle deliria,

Si ad suspiria,

Et ad pænas parata non es,

Non &c.

Zar. Quod volui & quod petiui

Maiorem culpæ partem exegi meæ,

Quantum est, quod deest?

Quantulum restat adhuc

Vt vitam serues iam pereuntem mihi?

Maius delictum forsitan ipse geris

Si me finis perire, & opem negas.

Ios. Perire debet quisquis viuendo nocet,

Vel qui vitam non potest

Sine culpa seruare

Zar. Leuis est culpa amare:

Grauior forsitan est odisse amantem

Ios. Peius est odio semper iniustus amor.

Odisse licet quædam,

Quæ amare haud licet.

Zar. Amori licent omnia

Ios. Non casto Amori

Zar. Leges non habet Amor

Ios. Non erit amor ergo, sed potius furor

Fur-

Zar. Furentem quid redarguis? excuses magis

Ios. Furere volentem quisquis excusat, secum

Et ipse furit; mens tibi restat qualis

Et mihi restat: restat vt velis vti.

Zar. Vtuntur mente mea dolor, & Amor

Hinc inde rapiunt, diuidunt, vexant, trahunt

Vti non possum mente, quæ non est mea.

Ios. Vtere consilio

Zar. Serum consilium præbes.

Torum viscera iam possedit malum

Auxilio, & non consilio

Morientem iuua.

Ios. Zara depone tanti

Criminis spem insanam,

Malo mortem quàm scelus

Contra Numen patrare,

Desine frustra in me preces iactare.

Nescis heu nescis

Quam lacrimabilis

Humana fors.

Iucunditati,

Et voluptati

Ineuitabilis

Occurrit Mors.

Nescit &c.

Zar. Si te preces non mouent

Moueunt iræ:

Si te non flectit Amor

Animæ frustra Amantis

Flectet furor & clamor

Pectoris indignantis.

Aut pari voto votis indulgemeis,

Aut furore succensa, auida ultionis

Apud Coniugem meum

Te nostræ culpæ dicam, & faciam reum.

Si

Si contemnis ingrata rogantem
 Indignantem
 Fortasse timebis.
 Et qui nostro nunc rides amore
 In furore
 Fortasse dolebis

Si &c

Ios. Quot Sydera habet Cælum

Tot innocentia meę
 Testes Deus excitabit,
 Et qui creauit me, nunc me seruabit.

Zar. Tacent in Cælo Sydera, & ille Deus

Cuius vocem imploras
 At non filebit noster iratus dolor.

Ios. Potest plus voce tua silentium Dei.

Zar. Rides furorem meum?

Ios. Rideo.

Zar. Vel cede nostro,

Vt nunc licet amori,

Vel nunc cedes furori.

Ios. In fuga Salus Pudicitiaę

Zar. In fuga

Non salus, at mors erit
 Scelestę, demens, improbe, infandum Caput.

Adeste, adeste, famuli, ancillaę, Coniux,

Sponse, Sponse vbi es?

Fugit heu fugit

Audax pudoris mei cupidus latro:

Huc vincula, & catenas

Huc tormenta, & secures,

Huc afferte omnes pœnas,

Quibus impuri cordis

Exincta tandem cadat infana spes

Sponse, Sponse vbi es?

Put. Quis insolitus clamor

Aures funestat meas?

Spon-

Sponsa quid gemis?

Cur sic irata fremis?

Siles? Coniux precatur,

Vir imperat, & iubet

Fare; Silentium tuum

Adhuc nobis inuictum

Incipit esse iam culpa & delictum.

Zar. Non dum satis respirat

Cor à metu, & dolore,

Vix ab impio Raptore

Pudicitiam seruauit,

Et quem tibi dicaui

Thalamum maritalem,

Amorem conjugalem.

Put. Pande vesani amantis,

Aut insani latronis

Nomen, ac dirum nefas.

Omnia numina iuro, vlciscar meas

Contumelias, ac tuas:

Ensis iste ad insultus

Nunquam lateri meo pendet inultus

Vmbra impura vesani Amatoris

Insepulta per campos errabit.

Spargam Cineres,

Ossaue pallida,

Et per crines vndantes cruoris

Impium caput mea dextra rotabit.

Vmbra &c.

Anc. Fugit, Domina mea, fugit iniquus

Pacis nostrę turbator,

Fugit, inclyte Princeps,

Sponsę tuę reus Amator;

En criminis indicium

In nostra fugiens pallium,

Reliquit manu.

Sc-

Sequere, fac ut luat
 Quas iamdiu meruit pœnas,
 Et non improbi amoris
 Verum furoris tui sentiat catenas
 Seruus ingratus
 Ceu dulcis natus
 A te dilectus,
 In te coniurat.
 Mæretur mortem,
 Qui lætam sortem
 Paterni affectus
 Audax non curat.

Seruus &c.

Zar. Ioseph, Ioseph tentauit,
 Fidem meam temerare,
 Coniugem tuam violare.

Put. O' perduellem, perfidum, execrabilem,
 Adeonè vili e corde recessit pudor?
 Venale monstrum, famuli gregis pessimum,
 Veniam quocumque tendis,
 Vel ad Herebum sequar;
 Et cum per ensẽ istum
 Fundes animam ream,
 Sanguine tuo delebo iniuriam meam.

Monstra Tartari
 Diræ Eumenides
 Agitate
 Meum furorem.
 Sed cessate,
 Nam furor meus
 Quo possit crescere
 Non habet amplius,
 Vt plus irascar
 Augete amorem.

Monstra &c.

Anc. Cadet scelestus, spreuit impunè amorem

Sper-

Spernat si potest nunc, spernat rigorem
 Zar. Me miseram quid feci?
 Amens quid perpetraui?
 Perdam, quem sic amaui?

Anc. Siste lacrymas effundere
 Perdis hostem, non amantem.
 Qui contempsit tuum amorem
 Non mæretur hæc suspiria,
 Quæ sunt animi deliria,
 Nec te decent indignantem.

Siste &c.

Zar. Non hostis & scelestus,
 Sed innocens & pius
 Cadet Ioseph pudicus
 Castitatis amicus;
 Persequor innocentem,
 Odimus iustum virum
 Atque ideo nostros vultu minaci ferox
 Oculos iam pererrans
 Territat illius vmbra, & crimen meum
 Totum concutiens pectus
 Varios excitat motus & affectus.

Zara dolens & infelix
 Quæ iam restat tibi spes?
 Quem non licet dilexisti,
 Quem non debes mox odisti,
 In Amore,
 Et in furore,
 Sic iniusta semper es.

Zara &c.

Ios. Hęc vincula, quæ gerunt
 Manus, & pedes mei,
 Ornant, & non catenant
 Inclytam Pudicitia libertatem.
 Nisi hos laqueos tulisset
 Minus clara fuisset,

Qui-